Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2043
Quelle:
Copyright:

XII. *fol.* 213. *Caroli* V. Responsio Protestantibus data 2. *Aug.* 1530. ut habetur *Cod.* CCCCLIV. et in *Coelestini Hist. Comitior. Augustan.* T. III. p. 1. sed hic tantum inchoata.

XIII. *fol.* 214. *Caroli* V. Imp. Decretum, praemissum, ut apparet, Confutationi Confessionis Augustanae. Ita enim inter alia, postquam Confessionem illam dixisset praeter spem *multis millibus exemplaribus latina et alemanica lingua a Calcographis impressam longe lateque vulgatam* fuisse, addit: *nos maturo consilio Rmi patris ac Domini nostri Papæ Cardinalis legati, Electorum principum ac statuum Imperij usi Confutationem nostram — etiam latine et Teutonice excudi et imprimi fecimus* &c. Apud *Coelestinum, Seckendorfium, Andr. Fabricium* hujus Decreti mentionem non inveni. Datum est *Augustae*, sed temporis nota abest.

XIV. *fol.* 218. *Summa rerum Lutheranarum ac aliarum nostri calamitosi seculi sectarum authore Joanne fabro Episcopo Viennen. Ex Gandauo inclyta vrbe flandriæ Anno MDXXXX. Mense Martio.* sed *fol. verso* nil nisi Elenchus Opusculorum jam notorum. *Gandavum Faber* in *Ferdinandi* Comitatu iverat ad fratrem Imp. salutandum.

XV. *fol.* 219. Exemplar *Articulorum Pragensium* supra N°. VII. notatorum.

XVI. *fol.* 221. Exemplar epistolae *Petri ab Anspach* ad *Job. Fabrum.* Post salutationis officia pergit: *Nouerit t. R. D. in festo omnium sanctorum totum Lutherum ex integro regnum suum impium in Marchia male auspicatum. Nam cum princeps meus* (Joachimus jun. Elector Brandeb.) *nulla videret auxilia et quotidie per Sathanę impostures sollicitaretur, pro humana demum fragilitate coactus est cedere. Que mutatio facit, vt ego a neutra parte bene audiam. Subscribere heresi non possum. Et me negotio subducere non licet. Scripsit pro me Revmus Maguntinen.* (Albertus Card.) *sed hactenus a principe nihil impetro. Agor ergo diuersis Casibus summisque capitis mei periculis inter meos Marchitas versor, donec deo aliter pro mea liberatione visum fuerit* &c. *Feria 6. post festum Conceptionis Mariæ.* 1539. Subscripta: *Humilis Petrus ab Anspach olim Predicator Electoris Brandenburgen. nunc autem vinctus in Domino.* O. P. erat *Petrus* et Conventus *Halberstad.* jamque eodem munere apud *Georgium Anhaltinum Dessaviae* functus. Quaedam de eo *Seckendorf. Hist. Luth.* L. III. §. 117. *addit. 1. kk.* qui et de Reformatione *Marchiae L. eod. §. 75.*

DXXXIV.

Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 144. 8. continet Scripta *Gabrielis* cujusdam *Anabaptistae* ex Opifice, ut ipse ait *fol.* 18. Fratris et Ministri Fratrum dispersorum per *Silesiam* et *Moraviam*, 943